





1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*

DISPUTATIO SEPTIMA

EX EPISTOLA PAVLI  
AD ROMANOS, CONTINENS  
*ἐκάλυψιν* capituli Quinti.

*Cujus positiones divina adjuvan-  
te gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-  
GIO, S. S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PRO-  
fessore in Academia Vitebergensi, in collegio disputa-  
tionum Theologicarum privato defen-  
det 17. Aprilis.

M. IOHANNES BECHMANNVS  
Brunsvicensis.



WITEBERGÆ,  
Typis M. Georgij Mulleri.  
Anno M. D. XCVI.

REVERENDIS, CLARISSIS-  
MIS, ET DE ECCLESIA DEI  
benè meritis, beneque merentibus  
Theologis.

D. POLYCARPO LYSERO  
Theologo Electorali Saxonico.

M. GREGORIO STAMMICHIO  
Ecclesiarum Hamburgensium Inspectori.

Et

AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,  
eruditione & virtute præstantissimis viris,

Dn. EBERHARDO ESYCHIO  
inclytæ Hamburgensium Reip. Senatori,

Dn. THEODORICO SCHNOCK  
ejusdem Hamb. Reip. civi laudatissimo.

*Mæcenatibus suis magnis, ac favoribus benevo-  
lis debita subjectionis Et gratitudinis ergo hoc ex-  
ercitium Theologicum demissè offert  
Et dedicat*

M. IOHANNES BECHMANNUS  
Brunsvicensis.

## CAPUT QUINTUM.

**Q**uoniam Apostolus multis argumentis evicit justitiam hominis non esse ex Lege aut operibus Legis, sed ex mera Dei gratia seu misericordia per imputationem obedientiae & meriti Christi, fide apprehensam: Deinceps effectus justificationis nostrae egregie illustrat, videlicet tranquillitatem conscientiae, spem, sanctificationem, liberationem à maledicto Legis, tyrannide Diaboli & mortis, & certam fiduciam finalis perseverantiae. De his agit Apostolus cap. 5. 6. 7. & 8. summa verborum & sententiarum gravitate. Quinto capite exorsus tractationem de effectibus justificationis, initio de duobus potissimum differit, tranquillitate conscientiae, & spe; monstrans utriusque fontem, immensam Dei charitatem, infallibilibus documentis comprobata. In hujus illustratione dum versatur eleganti antithesi opponit peccatum Adami seu principium malorum omnium & obedientiam Christi tanquam fontem justitiae & salutis nostrae, conferens inter se Adamum ipsum & Christum, ac docet majorem esse obedientiae Christi efficaciam in salvandis hominibus, quam fuerit inobedientiae Adami in perdendis. Praecipua igitur capita doctrinae hujus capitis sunt, de certitudine justitiae contra dubitationem Pontificiam, de spe Christianorum ejusque fundamento: de magnitudine charitatis divinae erga nos. De causa peccati: De obedientia Christi & gratia exuberante supra peccatum. Ad haec praecipua capita totam disputationem capitis quinti thesibus comprehensam reducemus.

### De Certitudine justitiae & salutis nostrae.

#### I.

**D**iligenter notanda est sententia Paulina: justificati fide pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus.

2. Quibus verbis docet Apostolus, quae sit efficacia & vis justificationis gratuita, quae infallibilis nota, quis effectus, nimirum Pax ad Deum vel cum Deo. Docet quibus ea pax sit, nimirum *Justificatis fide*: cui ea innitatur? *Christo Iesu*: Quae ejus sit operatio? *Accessus ad Deum per fidem amplectentem gratiam istam in qua stamus.*

3. Singula haec diligenter notanda sunt adversus Antichristi Romani furorem, qui stipatus magna satellitum ac juratorum

suorum copia in Concilio Tridentino sess. 6, cap. 13. 14. 15. 16. anathema dicit omnibus, qui certò credunt ac statuunt sibi remissa esse peccata per Christum, & cap. 9. tanquam inanem hæreticorum fiduciam damnat ac rejicit eam, quam ex verbo Dei docemus fidei πληροφορίαν & conscientiae tranquillitatem.

4. Et si rectè consideres, scopus ultimus & praxis totius disputationis de justificatione residet in quæstione, de qua nunc agimus: Mentis enim humanæ consternatæ voce Legis, audita consolatione Evangelij de obedientia ac satisfactione Christi pro peccatis totius mundi, quam fide amplectuntur, aut certæ sunt de remissione peccatorum, aut dubitant.

5. Si certæ, fruuntur pace, stant in gratia, cum fiducia accedunt ad Deum, eumq; ut Patrem invocant: Si incertæ, fluctuant animis, dubitant, an habeant Deum propitium, an ab ipso exaudiantur. Quare quærent media succurrendi his dubitationibus, quò aliqua pace frui possint.

6. Talem conscientiarum carnificinam in Papatu esse ostendit experientia, quæ adigit misera corda, ad quærenda suffragia aliorum, quos se sanctiorem vitam egisse aut agere arbitrantur: Hinc nata divorum vota & intercessionem, hinc foundationes Missarum, emptiones indulgentiarum, opera satisfactoria, peregrinationes ad statuas, & reliquias sanctorum, ad D. Mariam Lauretanam, Iacobum Compostellanum &c. Deniq; tolle dubitationis βελύγμα, & corruet Purgatorium, quo sublato nervus Pontificiarum expiationum erit incisus, breviq; tot ignavi ventres in claustris, ex ditissimis reddentur Iro pauperiores.

7. De re itaq; magna quæritur: Ex nostra quidem parte, de tranquillitate conscientiae rectè invocantis Deum reconciliatum per Christum: Ex Papistarum parte, de modo acquirendi opes totius mundi & conservandi splendoris majestatis & luxus, quo Romanæ Ecclesie antistites jam à multis sæculis acquisito quasi habitu utuntur, & regibus ac legitimis Principibus orbis terrarum superbè insultant.

8. Status controversiæ ante omnia rectè collocandus erit, ut res dexterius possit explicari: Non quæritur de inani præsumptione gratiæ Dei & remissionis peccatorum, si quis veræ poenitentiae expers, fingat se habere Deum propitium, sibi remissa esse peccata: Talem fiduciam non modo inanem esse statuimus, ut loquantur

quintur Tridentini *Areopagitæ*, sed etiam noxiam, & tartareis flammis vindicandam, utpote profectam à mente Epicureis opinionibus fascinata, ac Deum ejusq; judicium protervè irridente.

9. Nec quæritur de fide hæreticorum, defendentium errorem in fundamento, atq; interim de fide gloriantium, an ea vera fiducia gratiam Dei amplectatur. Hos enim, qui talem fidem profiterentur, non dubitare, sed certò statuere debere judicamus, Deum sibi verè irasci, seq; justitia, remissione peccatorum & vitæ æternæ hæreditate certò destitui, quamdiu in errore perseverant.

10. Neq; hoc est in quæstione: An credentes in Christum sæpe vacillent in fide, fluctuent, dubitent: Omnes enim in serijs conscientiaë terroribus experimur, quanta sit fidei imbecillitas, quam languida sit assensio: Quam sæpe turbentur mentes dubitationibus de veritate verbi, ac promissionum Dei, Hæc esse & manere in natura corrupta peccato concedimus.

11. Nec hoc quæritur, an Ecclesia sit remissio peccatorum. An Deus sit misericors & clemens, concedunt Papistæ utrumq;: Esse in genere remissionem peccatorum certam, & Deum propitium, sed Dignis, & perfectis, cumq; nemo sine speciali revelatione vel temeraria præsumptione certò asseverare possit, se dignum esse gratia Dei, ideo censet humiliter dubitandum esse de gratia Dei & remissione peccatorum.

12. Sed vera quæstio est de promissionis applicatione: An peccator pœnitentiam agens & vera fide promissionem Evangelij de obedientia Christi satisfaciente pro totius mundi peccatis amplectens, sibi eam applicare, & statuere debeat, Christum pro suis quoq; peccatis Deo Patri hostiam obtulisse, & se sanguine Christi mundani ab omni peccato: Vtrum inquam hoc credere debeat peccator, an verò dubitare, habeat ne Deum per Christum placatum & peccata per sanguinem ejus remissa.

13. Non est necesse plenas nostrorum Theologorum disputationes oppositas dubitationis Papisticæ commento huc transcribere, sed ex textu proposito quædam tantum argumenta ad confutationem hujus dogmatis desumemus; Sit itaq; primum argumentum desumptum ex natura fidei, qua justificari nos Paulus ait: Supra autem demonstratum est cap. 3. Fidem non significare tantum notitiam historiciæ & assensum, sed fiduciam, quam alibi scriptura vocat *πεποιθισιν*, *πληροφορίαν*, *ὑπόστασιν*, *ἔλεγχον*: Quæ vo-

cabula ostendunt naturæ fidei è diametro repugnare dubitationem: cui qui indulget, is non credit, cum sint pugnancia credere & dubitare. Iustificamur vero fide, non dubitatione; Certa igitur justificatio, non dubia.

14. Idem ex correlato fidei videlicet promissione divina perspicuum est, quam oportet esse firmam Rom. 3. Vt autem firma sit nobis, necesse est eam gratuitam esse, & fide apprehendi: dicente Apostolo: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.

15. Dependet itaq; certitudo justificationis ex natura fidei, fides ex promissionis divinæ immota veritate iuramentis etiam (ad succurrendum incredulitati nostræ) confirmata. Non promittit certè Deus nec jurat, ut dubites, sed ut certò credas. Jurat autem se pœnitentium misereri velle: Tu ergo si te in horum numero esse intellexeris, dubitare de misericordia Dei non poteris.

16. Scire autem quilibet potest, an verè credat & pœnitentiam agat, an verò hypocritica impietate Deo & hominibus illudat. Scio inquit Apostolus cui credidi 2. Tim. 1. vers. 12. Et monet idem ac hortatur Christianos omnes ut singuli experimentum sui faciant, sint ne in fide, 2. Cor. 13. vers. 5. Vosmetipsos tentate an sitis in fide, ipsi vos probate, An non cognoscitis vosmetipsos, quia Iesus Christus in vobis est, nisi fortè reprobis estis.

17. Ex quo primò patet, eos qui vel nesciunt vel pertinaciter dubitant se credere, & per fidem Christum in corde suo habitare Eph. 3. reproborum numero à Paulo accenseri. Tum pios & pœnitentes scire posse, credant ne in Christum an non: De quorum altero si certi sunt, de ejus consequente videlicet justitia fidei & gratuita Dei misericordia, vel etiam de justitia sua ac Dei indignatione dubitare non possunt, nisi veritatem promissionum & comminationum Dei enervare & Deum mendacij velint arguere, dicente scriptura. Qui non credit Deum mendacem facit 1. Ioh. 5. vers. 10.

18. Nec obstat huic certitudini infirmitas fidei in credentibus: Infinito enim intervallo inter se distant dubitatio Papistica & fidei infirmitas. Illa tanquam bonum opus & Deo placens humilitas laudatur à Papistis: Hæc tanquam carnis imbecillitas agnoscitur à sanctis & improbatur. Illi omnibus modis operam dant Pontificij, huic sancti repugnant & fidei incrementa à Christo cum Apostolis petunt Luc. 17. vers. 6.

Adhæc



19. Adhæc dubitatio propriam dispositionem & perfectionem intuetur: Fides infirma Christum ejusque misericordiam amplectitur, quanquam id fiat languide. Denique hæc *πίστις* est, illa *ἀπιστία*. Et quantum in hac est dubitationis, tantum est *ἀπιστίας* Rom. 4. 20. Ideoque opera quæ ex fide infirma fiunt, bona sunt, quæ vero ex dubitatione, mala sunt, & conscientiam affligunt, Rom. 14. Iacob. 1. vers. 6.

20. Secundum argumentum pro certitudine justitiæ contra dubitationem proponit Apostolus dicens: *Iustificati fide pacem habemus* per Dominum nostrum Iesum Christum. Loqui Apostolum non de pace politica (quam non venit Christus mittere, Matt. 10.) sed conscientiæ perspicuum est. Et Rom. 14. cognata ejus adjunguntur lætitia & gaudium,

21. Est enim conscientiae motus ac quasi bellum, quando accusata voce Legis circumspicit, quam ratione effugiat sententiam damnationis, nec ullibi firma præsidia invenit, non in justitiæ operibus quæ fecimus nos, nec in Lege, non in sacrificiis aut operibus ceremonialibus: Sed in sola promissione Evangelij de Christo & remissione peccatorum consistens, pacem habet, cui adjuncta est lætitia & gaudium acquiescens in Dei bonitate, & Christo pro opere redemptionis gratias agens.

22. Quid verò horum in dubitatione? Dubitanti de gratia Dei nulla potest esse pax, nulla lætitia in Deo, sed sicut res ipsa ostendit, mentes aut opinione propriæ inhaerentis perfectionis inflantur, aut sunt & manent inquietæ & tristes & sollicitæ de placando Deo & expiandis peccatis. Talem verò justitiæ rationem ignorat scriptura.

23. Tertium argumentum suppeditant sequentia verba: Per Christum habemus accessum & gratiam Dei: Ergo de ea tam non est dubitandum, quam de meriti Christi perfectione dubitari non debet.

24. Fatemur ipsi & concedimus Pontificiis, eos qui per opera quæerunt accessum ad gratiam Dei, non modo de ea dubitare debere, sed hoc addimus, eis nisi resipiscant omnino desperandam esse, dicente Apostolo: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus. 1. Corinth. 4. vers. 4. Vbi non fatetur Apostolus se de justificatione sua incertum esse, ut fingit Bellarminus; sed certitudinem justitiæ & salutis suæ negat ex eo dependere, quod conscientiam

entiam habeat mundam; Ejus πληροφορίας autem veram causam  
alibi exponit, 2. Tim. 1. Rom. 4.

25. Idem docet Christus Luc. 17. ver. 10. Cum feceritis omnia,  
dicite servi inutiles sumus, fecimus quod facere debuimus. Per  
opera igitur ad gratiam non datur accessus. Quare qui viam ve-  
ram & rectam ad gratiam Christum Iesum (Ioh. 14.) relinquunt,  
hos nunquam cœlum conscendere posse suis operibus certo cer-  
tius est:

26. Qui verò per Christum fide apprehensum accedunt ad gra-  
tiam Dei, hi de ea consequenda certi sunt, quia hoc solum est iter,  
quo tenditur in cœlum, hæc unica & sola scala qua ascenditur ad  
Patrem, qua pervenitur ad fontem gratiæ & misericordiæ Dei,  
Ephes. 2. vers. 18. Per Christum habemus accessum ad Patrem. Et  
hic accessus est cum fiducia, non dubitatione, Ephes. 3. In Christo  
habemus fiduciam & accessum in confidentia, per fidem ejus.

27. Quartum argumentum est in verbis: Per Christum habe-  
mus accessum ad gratiam *in qua stamus*. Phrasi hebræa sacris lite-  
ris usitata *stare* translata significatione, denotat animi præsentiam  
& fiduciam, consistentem adversus pericula, ut Exod. 14. Moyses  
trepidantem populum alloquens: *state* inquit & videte salutem  
Iehovæ 2. Paral. 20. *state & consistite*, & videbitis salutem Do-  
mini vobiscum.

28. Et Apostolus delectatus videtur vocabulo standi in hac si-  
gnificatione, ut Rom. 11. Tu fide stas. 1. Cor. 16. *state* in fide, Viri-  
liter agite. 2. Corinth. 1. Fide statis. Rom. 14. Domino suo stat aut  
cadit, 1. Cor. 10. Qui stat, videat ne cadat.

29. Hinc videre est, quæ sit significatio phraseos: *Stare* in gra-  
tia, hoc est, firma fiducia gratiam Dei amplecti & in ea acquiesce-  
re & omnes fluctus tentationum & dubitationum petriæ instar  
immoto animo excipere, & superare. Hæc quomodo cum dubita-  
tione Papistarum congruant, ipsi viderint. Qui enim dubitat, hunc  
non stare sed vacillare & discurrere, & quærere aliena media qui-  
etis parandæ certum est.

30. Significat etiam phrasis *stare* in gratia, non tantum acquies-  
cere in ea, ac de ea certum esse, sed in ea quoq; stando permanere  
& perseverare usque ad finem. Qui enim credit se per Christum  
justitiam fide apprehensam justum esse apud Deum, idem etiam  
cum Apostolo dicere potest: Scio cui credidi & certus sum quod

is possit meum depositum servare usque in illum diem : Item certus sum, quod neq; vita, neq; mors, neq; ulla creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.

31. Fiducia igitur finalis perseverantiæ, et si habet adjunctum studium & propositum novæ obedientiæ & perseverandi in curriculo pietatis, tamen non confidit proprijs viribus sapientiæ & constantiæ. Talis enim præsumptio non est fidei, & spiritus, sed carnis, quam Deus subtractione auxiliij sui punire solet, ut exemplum Petri ostendit : Sed nititur Dei omnipotentia, 2. Tim. 1. Potest Deus servare meum depositum : Dei fidelitate. 1. Corinth. 10. Fidelis est Deus qui non finit nos tentari supra vires : Dei bona voluntate Phil. 2. Deus est qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate. Sicuti igitur de Dei potentia fidelitate & bonitate dubitari non debet, ita nec de perseverantiæ dono.

32. Pontificij in concilio Tridentino cap. 12. & 13. Sess. 6. putant neminem de sua electione & perseverantia certum esse posse, sine speciali revelatione : His si opponatur exemplum Pauli Rom. 8. Certus sum &c. ajunt eum hac de re habuisse peculiarem revelationem. Duræus lib. 3. Cont. VVithak. f. 259. Bellarminus verò Scholasticorum compilator negat, Paulum certum fuisse de justitia & salute sua, & ad hanc opinionem stabiliendam usurpat sententiam Pauli, 1. Cor. 4. Nihil mihi conscius sum, sed tamen in hoc non justificatus. lib. 3. de Justif. c. 5. Deniq; Ambrosius Catharinus prolixè contra Dominicum à Soto disputat pro certitudine fidei. Tam bellè sibi constant Pontificij doctores, in questione maximi momenti : Tamque insaniunt in conciliabuli sui placitis defendendis, ut Bellarminus asserere audeat ipsum Apostolum Paulum dubitasse de fide sua, de gratia Dei & salute æterna.

33. Quintum argumentum est in verbis : Gloriamur in spe gloriæ Dei. Notatur enim πληροφορίας effectum, nimirum κἀνχιστε in spe gloriæ Dei : Hic summus est certitudinis gradus, quo non modo in gratia stamus, sed de ejus fine & complemento, nimirum spe glorificationis etiam gloriamur. Hoc etiam non competere dubitationi luce meridiana clarius est. Fieri enim non potest, ut quis, de quo certus ipse non est, de eo gloriatur.

34. Concludamus argumenta ex sententia adversariorum : His ita dicendum ex hoc textu Paulino : Iustificati igitur dubitatione, nullam pacem habemus per Iesum Christum, dum per opera

B

quæ-

quærimus accessum ad gratiam, in qua non stamus, & non gloriamur in spe gloriæ Dei. Hæc est Papistarum hypocritica humilitas, è diametro contradicens Spiritui sancto, quam, quia ita placeat, eisdem non invidemus.

## De Spe.

**A**cta mentione spei, de qua gloriantur omnes verè in Christum credentes & justificati. Unde ea sit in cordibus, quæ ejus & solutio, & cuiam innitatur edisserit. Quia enim de certitudine fidei, & salutis, deque tranquillitate animi dixerat, ne quis eam afflictionibus hujus vitæ turbari arbitretur, ostendit, quomodo justificati fide pacem habeant in medijs angustijs: Objectio erat talis: Pij & justificati varijs exercentur calamitatibus: Ergo nulla illis pax, nulla gloriatio. Respondet Apostolus κατὰ Σικουρ: Etsi impij fremunt in cruce, tamen pij fruuntur pace & gloriantur in afflictionibus.

Ratio responsionis: Quia certò sciunt crucem & calamitates operari patientiam, seu dare occasionem exercendæ patientiæ, subjicientis se voluntati divinæ, & tolerantis ærumnas à Deo impositas. Patientia verò operatur probationem fidei, quæ hoc argumento cernitur esse vera, si in adversis perduret. Probatio denique parit spem, quam exempla liberationum nostra vel aliena confirmant. Hujus verò spei ea vis est, ut non, quemadmodum spes terrena confundat, sed certò, quod sperat, impetret. Ratio est, quia non innititur fallaci opinione, ut humana spes, sed immoto charitatis fundamento, quæ tum verbo nobis est confirmata, tum in cordibus nostris diffusa & obsignata per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

## Themata.

### I.

**S**pes Christiana est certa expectatio hæreditatis vitæ & glorificationis æternæ, gratis donandæ propter Christum mediatorrem, accensa à Spiritu sancto per promissionem Evangelij: Et est expectatio liberationis ex pænis hujus vitæ, aut mitigationis calamitatum juxta beneplacitum & consilium Dei.

2. Spei vocabulum sæpe in scriptura pro re sperata sumitur, ut Dominus est spes mea, Psalm, 18. & 91. & passim, Coloss, 1. Spes reposita

reposita in caelis, id est, bona caelestia quae sperantur, Gal. 5. Nos spiritu ex fide spem justitiae, hoc est, coronam gloriae, quae per Christum gratis justificatos manet, expectamus: Nonnunquam spei vocabulum, uti & sperandi, significat fiduciam, certò alicui innitentem, Psal. 31. In te Domine speravi. Psal. 12. In misericordia tua speravi.

3. Sed propriè spei vox significat motum cordis appetentis bonum futurum juxta promissionem in verbo. Et quia promissionum divinarum duplex est differentia, ratione duplicium objectorum, ita quoque spei non una est ratio. Bona enim caelestia, hoc est, haereditas & gloria vitae aeternae promissa sunt credentibus sine conditione: Ergo certò expectanda, propter omnipotentiam & veritatem Dei promittentis.

4. Liberatio temporalis ex ærumnis promissa est credentibus cum exceptione castigationis, juxta consilium & beneplacitum Dei: Ea itaque expectatur, si Deo ita visum sit. Mitigatio verò poenarum, quia certò promissa est pijs, certò etiam expectari potest & debet. Nahum 1. Bonus est Dominus confortans in tribulatione & respiciens sperantes in se, Psal. 84. mitigasti omnem iram tuam.

5. Disputatur hoc seculo à Iesuitis, Fidem justificantem non esse fiduciam, sed hanc esse propriam spei: Distingui autem dicitur verbis Fidem à spe. 1. Corinth. 13. Non repetemus hoc loco quae in praecedentibus sunt tradita, fidem significare non solum notitiam & assensum, sed simul quoque praesertim in negotio justificationis designare fiduciam misericordiae in Christo promissae, Sed hoc tantum considerabimus: Quomodo fiduciam utrique virtuti Fidei & Spei tribuenda sit.

*Bellar. lib.  
1. de just.  
cap. 6.*

6. Res plana est ex objectis, quae Augustinus in Enchirid. cap. 8. pulchrè enumerat, & discrimen fidei & spei non in fiducia, ut Iesuitae, sed in objectis collocat: Fides est, inquit, & malarum rerum & bonarum: Praeteritarum, praesentium, & futurarum & ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur. Quae cum ita sunt, distinguenda erit fides à spe, sicut vocabulo ita & rationali differentia.

7. Objectis itaq; ut ex dicto Augustini perspicue patet, differunt fides & spes; Vsurpat enim vocem fidei latissime, quia non eodem modo fides circa omnia objecta versatur, neq; hoc affirmat Augustinus, sed tantum dicit hæc omnia esse fidei objecta. Differentia igitur hæc est, spes expectat invisibilia & absentia, quatenus bona & salutaria à nobis cogitantur. Fides credit invisibilia quatenus & quo modo sunt promissa, sive præterita, sive præsentia sive futura.

8. Exemplis res erit illustrior: Remissio peccatorum, justitia & adoptio in filios Dei, dilectio qua diligimur à Deo, sunt bona cælestia & invisibilia, eaq; non sunt reposita à Deo, ad alterius vitæ seculum, sed in hac vita Deus remittit peccata, justificat, adoptat nos & diligit ut filios suos in Christo. Quæritur utrum hæc bona sint objectum spei, an vero fidei?

9. Hic magna disputatione opus non est; Alterum enim horum Iesuitis est concedendum, aut non distribui hæc bona in hac vita & nullam in Ecclesia in hac vita esse remissionem peccatorum, justitiam & adoptionem in filios Dei, quod universæ scripturæ est adversum: Aut hæc bona non spe ut futura, sed fide ut præsentia apprehendi: Qua verò fide? num ea tantum quæ credit, quod hæc bona in Ecclesia sint, tanquam idea aliqua? Minime gentium, sed ea quam requirunt promissiones divinæ: Confide fili, tibi remissa sunt peccata: Christus dilexit me & tradidit semetipsum pro me: Scio cui credidi &c.

10. Vicissim hæreditas vitæ æternæ, resurrectio & glorificatio corporum nostrorum, simul sunt fidei & spei objecta, quia sunt futura bona, verum in hac differentia: Fides amplectitur promissionem eorum, cui firma fiducia inniritur: Spes verò rem ipsam promissam amplectitur certa fiducia, sed in expectatione futuræ revelationis.

*Bellarmino* 11. Quare vanum est Papistarum figmentum, quo docent spem  
*lib. 1. de ju* veniæ obtinendæ esse dispositionem ad justificationem. Scriptura  
*sti. cap. 13.* enim ignorat talem spem impetrandæ veniæ, sed fidem docet.

*NB.* 12. Et quanta vanitate laboret hoc dogma, dicta quæ ad ejus  
*Impudentiam* assertionem afferuntur satis convincunt. Proverb. 28. Qui sperat in  
*Bel-* Domino sanabitur, Quod dictum non de spe veniæ loquitur, sicut  
*larmini.* antithesis membri præcedentis ostendit, sed opponitur hæc spes  
superbiæ & jactantiæ impiorum, ortæ ex magnitudine operum  
immiscen-

immiscens se litibus. Ideoq; non est in Hebræo sanabitur, hoc est, ut Iesuita vult accipiet remissionem peccatorū, sed ἰσχύς hoc est, impinguabitur, seu satiabitur bonis hujus vitæ. Quid verò hoc ad Papisticam dispositionem?

13. Eiusdem farinae sunt testimonia reliqua quæ afferuntur, ut Psal. 37. Salvabit eos, quia speraverunt in eo, Psal. 91. Quoniam in me speravit liberabo eum. Vbi de liberatione ex æumnis hujus vitæ scriptura agit, quam sperant credentes: Quid hoc ad Papisticam dispositionem?

14. Postremum verò testimonium Matth. 9. Confide fili remittuntur tibi peccata tua, non agit de spe, sed de fide, nec disponit hominem ad justitiam, ut Tridentium concilium nugatur, sed credenti annunciat certam peccatorum remissionem. Valeant itaq; Papistæ cum suis dispositionibus ad justitiam.

15. Ut autem omnes virtutes in hac vita sunt imperfectæ propter veterem Adamum hærentem in sanctis, Ita quoq; spes Christiana, etsi ex fide oritur, & immoto fundamento Charitatis divini innititur, ac proinde vacillare nunquam debet, quo nomine secundum se considerata spes rectè dicitur, tuta & firma anchora salutis, Heb. 6. Tamen sæpe vincitur procellis dubitationum, perinde ut fides infirma, Neq; enim ejus perfectio ex uno opere est æstimanda, sed ex actus perfectione, conjuncta cum continuatione. Ideoq; eadem Epistola ad Heb. 6. vers. 11. hortatur pios, ut sint diligentes ad confirmandam spem usq; ad finem.

*Bellarmino  
lib. 2. de  
justific.  
cap. 7. dicit  
spem pio-  
rū in hac  
vita esse  
perfectam*

16. Certa igitur esse debet spes ex Dei verbo, & non hæsitans quia certa est promissio, juramenti confirmata Heb. 6. Et impia est Papistarum doctrina, qua ajunt, fieri posse, ut homo sperans non sit certus, se rem speratam consecuturum. Aut enim de spe Christiana loquuntur Iesuitæ, aut de humana ac terrena; De hac concedimus affirmatum, sed ad institutum non pertinere dicimus. De illa concedimus convenire thes. datæ, sed affirmamus esse vanissimum figmentum: Spes enim non confundit Rom. 5. Spes est anchora tuta & firma salutis Heb. 6.

*Bellarmino  
lib. 3. de  
justif. ca. 11.*

17. Sed hic instant spe non excludi timorem ortum ex consideratione propriæ dispositionis: Eò trahunt dicta: In timore & tremore salutem operemini: Sed fallacia est in argumento ἀμφιβολογίας in vocabulo timoris: Alius est enim timor πίσεως statuentis se esse in gratia apud Deū & sollicitè caventis, ne hac gratia

excidat, & vitantis peccata contra conscientiam: Alius est ἀπιστίας & dubitationis, quæ non statuit certò se esse in gratia apud Deum. De hoc timoris genere garrunt Papistæ, quod oritur ex consideratione propriæ dispositionis: De qua, quia nunquam quisquam certus esse potest, collata ad Legis divinæ summâ perfectionem, non est mirû Papistas neq; de justificatione, neq; de spe sua certos esse.

18. Quin potius certi esse possunt in contrarium: Quia enim Lex summâ requirit perfectionem, eaq; destitutis denunciat maledictionem, non est necesse, ut Papistæ de hujus affirmati veritate dubitent; Sed certi esse possunt, se æternæ maledictioni subjacere, quia ab ea non per & propter Christi meritum volunt absolvi, sed per propriæ dispositionis & interioris habitus perfectionem.

*Bellarmin:*  
*lib. 1. de*  
*bonis operibus, cap. 15*  
*Vide &*  
*Psalteriû*  
*Mariæ ubi*  
*sexcenta*  
*sunt hujus*  
*generis.*

19. Exceranda est blasphemia Papistarum canentium singulis diebus in cantico Hermanni Contracti, *Salve Regina*, mater misericordiae, vitæ dulcedo & spes nostra salve &c. Ut enim reliqua membra, quæ omnia notoria impietate laborant, nunc omittam, vel hoc unicum de quo nunc agimus, quod Maria dicitur, spes nostra, quam sit profanum ac blasphemum manifestum est.

20. Nunquam enim Christus hoc præcepit, nunquam beati Apostoli id fecere, nunquã nobis faciendum tradidere: Soli Deo hic debetur titulus, quod sit spes nostra: Maledictus est enim qui sperat in homine. Jerem. 23. Et Deus inquit gloriam meam alteri non dabo, Esa. 46, Et David Psal 42. alloquens animam suam: Spera, inquit: (non in Sara, vel Abrahamo) Sed in Deo. Sed hæc idololatria indigna est, prolixiori confutatione.

### De Charitate Dei.

**F**undamentum spei Christianæ firmum esse charitatem, qua Deus nos complectitur, quia dixerat Apostolus: Ideo in ejus descriptionem digressus illustribus verbis ejus magnitudinem amplificat, ducto argumento ab effectu, seu à signo ad causam: Ex passione enim & morte Christi, ceruere licet abyssum bonitatis & dilectionis Dei erga nos. Amplificatur argumentum hoc à circumstantia temporis, & attributis personarum pro quibus Christus est mortuus: Erasmus enim conditione impij, affectu inimici Dei, & tamen sumus tantopere dilecti à Deo, ut filium suû pro nobis dederit: Quantò magis igitur nunc diligimur reconciliati per Christum & iustificati: si per mortem Christi sumus reconciliati Deo, quantò magis



gis per vitam ejusdem salvabimur: Horum, inquit, tanta est certitudo,  
ut hoc nomine in trepide in Domino gloriemur.

## Theses.

### I.

**I**nsignis hic est locus Apostoli de ineffabili Dei dilectione, qua  
motus erga genus humanum Filium suum misit in mundum,  
Iohan. 3. & in filio nos diligit, justificat & adoptat in filios, & ad  
jus æternæ hæreditatis admitit 1. Iohan. 4. Eph. 1.

2. Opponenda est hæc doctrina dubitationum fluctibus, & Pa-  
pistarum delirijs: Deus filium suum dedit nobis inimicis suis, ut  
per ejus mortem ipsi reconciliaremur. Ergo de ejus dilectione  
erga reconciliatos & credentes non est dubitandum.

3. Cum inimici Dei & impij essemus & infirmi, Deo sumus  
reconciliati per mortem filij: Ergo nihil potuimus mereri: Cum  
infirmus non possit, inimicus non velit quicquam efficere quo  
Deo placeat, Et si maximè velit, tamen id tanquam ab inimico fa-  
ctum, Deo sit ingratum. Vanum est igitur Papistarum meritum  
congrui.

4. Discernit etiam Apostolus gradus dilectionis Dei, cum in-  
quit: Si dilexit nos inimicos & nondum reconciliatos, adeo ut fi-  
lium suum daret, quantò magis per filij mortem reconciliatos di-  
liget.

5. Disputatur hoc seculo à nonnullis, an Deus totum mundum  
dilexerit in Christo, eòq; qui affirmativam retinent, torquent di-  
ctum Pauli Eph. 1. Dilexit nos in dilecto.

6. Certum est Deum dilexisse totum mundum & omnes in eo  
homines, nemine excepto Ioh. 3. ac toti mundo misisse filium, qui  
pro totius mundi peccatis satisfecit 1. Ioh. 2. Rom. 8. 1. Tim. 2.

7. Certum quoq; est, Deum intercessionem filij sui facta ab æter-  
no moveri, ut mundum diligat. Cum enim immensa sua miseri-  
cordia Deus reparationem generis decerneret, & propter lapsum  
hominis intervenientem, justitia Dei satisfactionem exigeret, in-  
terposuit se vadem filius Dei, sua obedientia nostram inobedientia  
am compensaturus: Atq; ita per & propter Christi intercessio-  
nem Deus verè dilexit mundum.

Hoc

8. Hoc est quod Paulus hoc loco innuit Deum dilexisse inimicos suos & dedisse filium, qui pro nobis moreretur; Qua ratione misericordia Dei in filij Dei tanquam æterni mediatoris intercessione fundatur ac perficitur. Et hoc sensu phrasis, Deus dilexit in Christo, hoc est, per & propter Christi intercessionem, totum mundum, admitti potest.

9. Neq; tamen hinc sequitur, dictum Apostoli ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἡγαπῆμένῳ proprie intelligi debere, de generali illa dilectione, qua Deus omnes homines, sive credant in Christum, sive non, complectitur. Loquitur enim Paulus proprie de acceptance in gratiam, seu de amoris Dei generalis applicatione, quæ fit in dilecto ad singulos. Hinc est, quod omnes quidem sunt dilecti à Deo, Ioh. 3. ἡγαπῆμένοι, sed non omnes sunt gratificati κεχαρίτωμένοι, quem titulum virgini Mariæ tanquam peculiare quoddam elogium tribuit angelus Gabriel, Luc. 1. Et Paulus ostendit communem esse omnibus, qui sunt in Christo, seu qui in Christum credunt.

10. Deniq; negari nequit, Deum arctiori dilectionis gradu complecti credentes in Christum, qui jam actu sunt adoptati in filiorum numerum, donati Spiritu sancto tanquã arrha amoris Dei, & hæreditatis æternæ; quam incredulos & impœnites, quos ita quidem diligit, ut eos credere cuperet; Sed quatenus non credunt & in incredulitate perseverant, simul eosdẽ odit & damnat, Ioh. 3. Qui non credit, manet ira Dei super eum,

### De causa peccati,

**O**rditur Apostolus v. 12, antithesin Adami & Christi, ut utriusque extremi, peccati & justitiæ causam primam ostendat, simulque probet, posse obedientiam Christi imputari credentibus. Premittit autem brevem commonefactionem, de prima peccati causa, inquit: Per unum hominem peccatum intravit mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, quia omnes peccaverunt. Ac ne quis objiciat: Vbi non est Lex, ibi nec peccatum: At per Mosen primum lata Lex: Ergo ante Mosis tempora non erat peccatum in mundo? Respondet Apostolus: Concessione majoris propositionis, Peccatum non imputabatur, cum lex non esset. Huic subjungit insicitationem assumpti: Quod enim Lex non primum cœperit eo tempore quo per Mosen est promulgata, sed ab Adams

usq;

usq; ad Mosen fuerit, patet ex ejus effectu, nimirum morte, qua etiam ante  
Mosen regnavit in omnes homines: Non tantum adultos, qui & ipsi actu-  
ali obedientia ad similitudinem prevaricationis Adami deliquerant, sed  
etiam infantes, qui tamen, quia mortui sunt, peccatis polluti & Legis sen-  
tentia obnoxij fuerint necesse est.

## T H E S E S

I.

**V**nde sit peccatum, omnisque illa & ætæ & confusio non tan-  
tum scelerum & pœnarum, sed etiam consiliorum & even-  
tuum in vita, ac denique finalis destructio hominis, variè dispu-  
tant mentes humanæ, extra verbi divinitus revelati metas vagan-  
tes. Ac fuerunt quondam, qui casu omnia ferri arbitrati sunt, ac  
non sunt hodie fortasse nulli Epicuri de grege, ejusdem opinionis.  
2. Alij fato Stoico regi cuncta sensere, & primam causam secun-  
dis alligatam bonorum pariter ac malorum effectricè finxerunt,  
Manichæi duos Deos commenti sunt φῶς καὶ ὕλη bonum & ma-  
lum, & ab hoc peccatum esse ortum & omnem illam colluviem  
scelerum & calamitatum, quæ in genere humano dominantur.  
3. Nostro seculo inventi sunt Seraphici doctores, qui cogitatio-  
nibus transcendentes quicquid usquam est, ubi de rerum omnium  
principijs, de providentiâ & causa peccati disputatur: Ita homi-  
ni causam peccati ascribunt, ut quicquid in eo culpæ & vitij est,  
soli sit hominis: Ceterum voluisse tamen Deum & decrevisse ab  
æterno, ut homo laboretur, atq; sic peccatum hominis Deo pla-  
cuisset asseverant.

4. Quod ne odio illis attribui à nobis quispiam arbitretur, ascri- Tom. 1.  
operum p.  
179.  
bam locum Theodori Bezae ex brevi explicatione totius Chri-  
stianismi, in qua cap. 3. aphorismo quinto sic scriptum reliquit: Re- Bezae  
verba.  
linquitur ergo hunc lapsum ita à voluntario Adami motu profe-  
sum, ut tamen non invito Deo acciderit, cui miro quodam &  
incomprehensibili modo placet, ut id quoq;, quod quatenus pec-  
catum est, non probat, non sine voluntate sua eveniat &c.

5. Audis hic non sine voluntate Dei evenisse, ut homo peccaret:  
Miro quodam & incomprehensibili modo Deo placuisse lapsum  
Adami: Liberatur hisce verbis quidem Deus à corruptionis cul-  
pa, quia ea spontanea hominis inobedientia est contracta: Sed non

C

à cor-

à corruptionis consilio : Quin potius affirmatur : consilio & decreto Dei sancitū fuisse, ut homo laboretur, & lapsum istum Deo miro quodam modo placuisse, non quatenus *ἀνομία* quaedā fuit, sed quatenus fuit effectus æterni decreti divini antegredientis omnēs causas.

6. Hanc assertionem quò minus veram esse statuamus, clarissima scripturæ testimonia faciunt, quibus Dei gloria ab eiusmodi blasphemijs vindicatur. Psal. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es Habac. 1. Mundi sunt oculi tui ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.

Tom. 1.  
Pag. 190.

7. Nec tantū summē justus est Deus, cui displicet peccatum, sed etiam perfectē bonus, qui neminem creavit ad interitum & damnationem ( ut impiè docet idem autor cap. 5. aphor. 1. & 2. ) nequenquam vult perire, sed omnes omninò homines salvos fieri & ad agnitionē veritatis venire. Ose. 13. Perditio tua Israel ex te est, ex me autem salus. 1. Tim. 2. Ezech. 18. & 33. 2. Pet. 3. Tale igitur decretum absolutum, quale fingunt Calviniani, cum justitia, misericordia & veritate Dei pugnant meritò repudiamus.

8. Docet itaq; Paulus præsentī textu verum fontem omnis peccati & calamitatum in vita, videlicet, nō consilium aut decretum Dei, sed spontaneam inobedientiam Adami, per quam peccatum & mors intrarunt in mundum, v. 12. Simul etiam includit Apostolus Diabolum, tanquam causam impellentem, ut patet ex Genes. 3. Sap. 2. Ioh. 8.

9. Quia verò inscio & simpliciter invito Deo nihil fieri potest, concedimus in peccato Adami concurrisse & Dei præscientiam & permissionem, nequaquam verò ut causas : Cum prævisio actus nullam afferat necessitatem causæ agentis.

Sustentatio causæ peccantis nō est causa peccati.

10. Sustentat quidem Deus naturam peccantem, ut in Diabolis & permittit eam liberè agere, & determinat metas, et reducit peccata ad fines sibi gloriosos & Ecclesiæ utiles, Sed neq; ad malè agendum impellit, nec peccatum ullo modo, nedum miro & incomprehensibili, ut ille loquitur, approbat.

### Collatio Christi & Adami.

PRIMUM hominem Paulus dicit typum gestasse illius futuri, videlicet Christi, quia uterq; toti humano generi aliquid contulit, quod suum erat

Et hac in parte similes sunt primus Adam & secundus. Dissimilitudo vero longe est maxima: A primo Adamo peccatum, à secundo vero justitia gratis imputata intravit in mundum; Ab illo condemnatio, ab hoc justificatio; Ab illo mors, ab hoc vita: Ex Adamo unius peccati reatus est ad mortem: A Christo redemptio ex multis peccatis ad justitiam. Et hactenus inter se opponit Apostolus, non tamen vult per omnia eandem esse contrarietatem rationem. Circa finem denuò repetit objectionem de Legis necessitate & usu, quo ait, peccatum augeri seu fieri abundantius. Sicut itaque peccatum regnavit in morte, ita gratia regnat per justitiam ad vitam eternam per Dominum nostrum Iesum Christum.

## T H E S E S

### I.

**H**unc locum utilem ad confirmandam doctrinam de justificatione gratuita, per imputationem fidei, Pontificij pro suo dogmate inhærentis justitiæ stabiliendo afferunt. Si enim quæras, quid Paulo sit justificari? Respondet ipse, justum constitui. Hic exultat Bellarminus, & quasi debellatum sit, Pæana canit lib. 2. cap. 3.

II. Ex hoc loco, inquit, habemus, justificari per Christum, non esse, haberi aut pronunciarî justos, sed verè fieri atq; constitui justos per adoptionem inhærentis justitiæ, non imperfectæ, sed absolutæ & perfectæ. Et paulò post hanc significationem ex antithesi Adami ad Christum patere affirmat, Scribit enim Apostolus, sic nos justos constitui per obedientiam Christi, quo modo constituti sumus injusti per obedientiam Adami: Id autem sit injustitia verè ac re ipsa nobis inhærente, non imputata. Hæc ille,

3. Ad hæc duo argumenta, quorum alterum ex phrasi, alterum ex ratione antitheseos desumptum est, supra à nobis est responsum in explicatione capituli tertij, disputatione quinta, thesi nona & sequentibus. In priore enim fallacia est figuræ dictionis, cum constitui justum, non sit fieri justum per inhærentiam, sicut ille per principij petitionem garrit: In posteriore est fallacia consequentiæ, cū membra collationis non sint latius extendenda, quàm intentio Apostolica patitur. *Αποστολικὴν* igitur petet lector ex allegato loco.

4. Cæterum pro justitia imputata hic locus militat fortissime: Quam enim appellat Apostolus *δικαιοσύνην* vers. 10. & 11. eandem vocat *καταλλαγήν*, id est, reconciliationem, utens nimirum fore illi



voce in ἑρμηνείᾳ vocabuli forensis. Eandem opponit condemna-  
tioni vers. 18. Non est igitur Iesuitica divinatione opus, quid Apo-  
stolus voce justificationis exprimere voluerit, sed sola textus in-  
sectio id expedire potest.

5. Accēptamus autem pro confesso, quod Iesuita dicit, Paulum  
requirere à nobis justitiam, non imperfectam, sed perfectā et abso-  
lutam, quia nimirum Christi meritum abundantius sit, & majoris  
efficaciæ, quam Adami peccatum. Talem autem justitiam non esse  
inhærentem in nobis, quæ nunquam est omnib<sup>9</sup> numeris absoluta  
in sanctis, scriptura luculentè docet: Esa. 63. Omnes justitiæ no-  
stræ sunt velut pannus menstruatus Rom. 7. Video aliam legem in  
membris meis. 1. Ioh. 1. Si dixerimus, quod peccatum non habe-  
mus, ipsi nos seducimus, & veritas non est in nobis.

6. Relinquitur itaq; perfectam istam justitiam, quæ in perfectis-  
simo Dei iudicio consistere possumus, non esse inhærentem, sed  
imputatam Christi obedientiam, quæ absolutissima est, & sola  
censuram Legis sustinere potest.

7. Dictum autem in textus ἀναλόγει est, quæ sit inter Christum  
& Adamum ὁμοίότης: Hic gerit illius typum: Vt enim unicus est  
autor & causa peccati: Ita solus Christus justitiæ. Vt Adam pec-  
catum, ejusq; pœnas propagavit in omnes homines: Ita Christus  
justitiam acquisivit omnibus hominibus.

8. Differentia verò est, 1. in rebus acquisitis, Adam peccata,  
Christus justitiam: 2. In termino, à quo factus est transitus, Ille ex  
uno peccato adduxit perniciem omnibus, hic ex multis peccatis  
peperit salutem omnibus: 3. in modo propagandi: Ille per gene-  
rationem carnalem mala sua in omnes transfudit: Hic per rege-  
nerationem spirituales factam per verbum & Sacramenta bona  
sua hominibus communicat: 4. Ex hoc tertio discrimine nasci-  
tur quartum, quod nimirum peccatum Adami non tantum reatu,  
sed etiam corruptione, ac re ipsa in natura hominis hæret: Obedi-  
entia verò ac justitia Christi imputatione fit nostra.

9. Et quanquam simul accendantur in renatis novi motus à  
Spiritu S., tamen neq; ideo persona non reconciliatur, & placet  
Deo, nec per hos motus tota natura innovatur & ab omni corrup-  
tionis labe purificatur priusquam morte ipsa & destructione  
corporis peccati, hoc malum planè deleatur.

10. Noo

X.

Non sunt igitur membra collationis latius extendenda, quam ab ipso Apostolo factum est, qui *συγκριση* hac principaliter non vult docere, quomodo simus iusti, vel iniusti coram Deo, sed unde sit peccatum & iustitia: Multò verò minus venit Apostolo in mentem universalis quædam omnium hominum iustificatio si-  
ve credant, siue non.

XI.

Vera est omninò sententia Apostoli: Sicut per unius delictum (transitus factus est) in omnes homines in condemnationem: Ita per unius iustitiam (transitus factus est) in omnes homines in iustificationem vitæ. Sed hinc non sequitur universalis iustificatio omnium, quia deficit medium applicationis, sine quo nulla iustificatio fingenda est.

*Questiones.*

I.

*Q*uomodo discernenda sint in Apostolo gratia & donum per gratiam? vers. 15. gratia & donum iustitiæ? vers. 17.

II.

*Q*uomodo multi dicantur peccatores constituti per inobedientiam unius hominis? vers. 19.

III.

*Q*uomodo lex faciat abundare peccata, eaq; adaugeat? vers. 20.

C 3

*Quomodo*

IIII.

*Quomodo Lex dicatur subintrasse in orbem,  
quasi non ordinariè aut legitimè sit promulgata?  
vers. 20.*

V.

*Quaratione abundante peccato superabun-  
det gratia? vers. 20.*

**FINIS**



*Quomodo Lex dicatur subintrasse in orbem,  
quasi non ordinariè aut legitimè sit promulgata?  
vers. 20.*

*Quaratione abundante peccato superabun-  
det gratia? vers. 20.*

*FINIS*

*Quomodo Lex dicatur subintrasse in orbem,  
quasi non ordinariè aut legitimè sit promulgata?  
vers. 20.*

*Quaratione abundante peccato superabun-  
det gratia? vers. 20.*





AB 22 841 (1)

ULB Halle 3  
002 043 793





Sb.

W19

Hilf.







DISPUTATIO SEPTIMA

EX EPISTOLA PAVLI  
AD ROMANOS, CONTINENS

ἀνάλυσις capituli Quinti.

*Cujus positiones divina adjuvan-  
te gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-  
DIO, S. S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PRO-

fessore in Academia Vitebergensi, in collegio disputa-  
tionum Theologicarum privato defen-

det 17. Aprilis,

M. IOHANNES BECHMANNVS  
Brunsvicensis.



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri.

Anno M. D. XCVI.